

imponit digito qui hanc determinat quæ a corde fluitat dilectionis venam. Qualiter fabricare et imponere Ille vobis annuat Qui cum Suos dilexisset usque in finem eos dilexit. Amen.

[Cotton, Claudius, D. 1, f. 4<sup>b</sup>.]

[CCXCIX.—JOHN WHEATHAMPSTEAD TO THE ARCHBISHOP OF YORK.]

Honorabilissimo in Christo patri ac domino domino Johanni divina providentia *archiepiscopo Eboracensi ac cancellario regni* suus servitor humilis Johannes de Sancto Albano abbas, seipsum in obsequium sua singula ad omnia genera mandatorum. Venerabilissime domine et pater sincerissime prædilecte; Inter alia recordandæ bonitatis beneficia quibus favor paternus suum sæpius locupletavit filium, illud restat præcipua perpetuaque commemoratione dignum, quo dum novus sinistrae reportationis titinillus *fragmina verborum* recollegerat quibus per garrum in vestris auribus opinionem paternam erga filialem innocentiam sinistraliter infirmaret, *vos ea lege instructi quæ jubet in omni amfractu litium alteram partem citra diffinitivam sententiam judicialiter exaudiri, vestrarum clausistis januas aurium nec promptum dedistis sibi ingressum prout voluit*, licet pulsaret improbe et peteret perfide reserationem. De illo susurratore perfido Simone de T[arano], pater reverendissime, censeo, qui postquam causam inter me et abbatem de Westmonasterio,<sup>1</sup> super quadam juxta aquas *contradictionis furcarum positione apud vestram reverentiam* promovendam præmio suscepto sumpserat, ipse spiritu fallacis Symonis ductus,

---

<sup>1</sup> For the dispute, see particulars in the 16th year of his abbacy: Claud. D. 1, f. 139<sup>a</sup>-146<sup>b</sup>.